


HEMMING
IN FRANC.
BROCKENHUUS









Oratio Funebris

ILLVSTRISSIMI VIRI, SPLENDORE

*GENERIS, ERVDITIONE, VIR*tute, pietate, & sapientia ornatissimi Francisci Brochenhuss, Archistrategi Daniæ, de Rege & regno optimè meriti Domini de Egeskouu: Publicè in Academia Hasniensi scripta & recitata

A

IOHANNE HEMMINGIO

Anno Domini 1570. die 6. Ianuarij.

WITEBERGÆ

EXCVDEBAT IOHANNES CRATO.

ANNO M.D.LXX.

SPLENDORE GENERIS, DOCTRINA SINGVLARI ET VIRTVTE CLARISSIMO IVVENI, LAVRENtio Brochenhuſs Domino de Egeſkouu Franciſci Brochenhuſs piæ ſanctiſsimæq; memoriæ filio, Domino ſuo obſeruandiſsimo.

S D.

CVm ſis præclaris à ſtirpe parentibus ortus,
Et numeres longæ nobilitatis auos,
Laurenti, & patriæ ſpecimen virtutis honeſtis
Moribus oſtendas & pietate pari:
Accipe tu placida, cecini quæ carmina, mente,
De patre defuncto dulcis amice tuo.
(Non pudeat veteris te, conditionis amici
Diſsimilis quamuis, nobilis eximie.)
Sunt qui facta canant aliorum & laudibus illos
Immeritis ornent, fictaq; geſta notent.
Quodq; alij faciunt præclarè, his omnia falſò
Aſcribant, tantum vulgo hominum vt placeant.
Verum ego vera loquar, neq; fictis laudibus illum
Ornabo, aut alius quod facit huic tribuam.
Nam veluti cornix pauonum tecta colore
Et pennis quotquot ſunt auium reliquæ:
Ingreditur, cœlum dextro terramq́; ſiniſtro
Aſpiciens, oculo, pictaq́; terga gerens:

 Interea

Interea ut tantum sese admiratur euntem
Aduolitant, reliquæ atq; hanc petere incipiunt,
Euelluntq; suas pennas, nudamq; relinquunt
Cornicem, plumis quo spoliata nouis,
Nudata incedat, risuq; sit omnibus una,
Vt sese agnoscat stultitiamq; suam:
Sic quoq; qui immeritis ornantur laudibus, atq;
Arripiunt reliquis quæ tribuenda forent,
Nescio certè homines quo sint hi nomine digni,
Dicendos prorsus credo equidem fatuos.
Nam tantùm pro laude domum ludibria portant,
Et discunt famæ posse cauere suæ.
Sed tu macte animo iuuenis clarissime, morum
Eximium patris magnanimi specimen.
Inuigila & magnis nomen uirtutibus æqua,
Vt propria superes nobilitate genus.
Te Deus æternùm seruet faciatq; beatum
Vt uiuas, patriam multiplicesq; domum,
Accipe quæ tenera cecinit mea arundine Musa
Carmina, sed tanto non tamen apta uiro.
Viue uale tibi quæq; Deus fœlicia donet,
Vndiq; propositum dirigat ille tuum.

T. P.
deditiss.
Iohannes Hemmingius.

ORATIO FVNE-BRIS.

CHriste Dei soboles, verißima patris imago,
Qui tibi mirando iunxisti fœdere massam
Humanam, fer opem afflictis, miserosq; foueto.
Semper enim nostris votis precibusq; benignus
Annueras, præsens iterum nunc numine adesto.
Nam veluti clauso lupus insidiatur ouili,
Cum fremit ad caulas æstus perpessus & imbres
Nocte intempesta: & cum dira fatigat edendi
Hunc rabies, furit, atq; illi sunt sanguine fauces
Siccæ, & inexpletum diuexant tormina ventrem:
Non secus infestus Satanas nos vndiq; circum
It fremitu horrisono, tantumq; hoc spectat & optat,
Vt miseros qui te solum pie Christe fatentur,
Teq; colunt, subitò prosternat, & omnibus vno
Impete prostratis exultet, & ampla reportet
Victorum spolia: hinc Turcæ qui sanguine gaudent
Humanoq; feri sua viscere viscera complent
A Sathana edocti, plus quam crudelia facta
In cunctos qui te dominumq; ducemq; fatentur
Exercent: toto hac non gens truculentior orbe est.
Adde quod infantum verubus mox edita figant
Membra truces, miseras cogantq; ea mandere matres.
Sed similis gens Hispana est, gens peßima, diris

Deuota, in Stygiam detrudi digna paludem,
Quam cruor & cædes & mors indigna piorum
Delectat, quam nulla mouet miseratio, nulla
Est cordi pietas, precibus neq; flectitur vllis.
Heu nimium mens cœca hominum, qui viribus audent
Omnia quæ faciunt proprijs confidere, quamuis
Sint nihil, & tantum hic spe colluctentur inani
Nam ceu ruta viret, veluti rosa candida fulget
Tempore sed pereunt: hominum sic vita labascit
Cunctorum, & spretos tandem fortuna relinquit,
Et morti dedit rigidæ, vt vixisse priores
Posteritas etiam dubitet, seriq; nepotes.
Verùm præclaris qui vitam ornauerat actis,
Militiam & graue Martis opus sectando cruenti:
Non spretus sine honore iacet, sed per loca fama
Omnia differtur celebri, sic nomine clarum
Se claris fecit gestis duroq; labore.
Quid referam magnis de stirpe parentibus ortum
Æneam? aut fortem Turnum? quid deniq; Achillem?
Qui docta celebres Musa euasêre Maronis?
Non hos posteritas spretos neglexit, at amplis
Laudibus ornauit meritò cœloq; locauit.
Quid referam Herluffum Trolle, fortissimus vnus
Qui fuit in multis & seruantissimus æqui?
Quiq; vnam hanc reliquis virtutibus addidit vltrò
Quod bona (maiorum accepit quæ marte parata)

Vsibus

Vsibus ingenuis Musisq; dicarit honestis
Fundaritq; scholam proprio de nomine dictam.
Quæ dum tellus erit, dumq; aurea sydera cœlum
Gestet, in æternum semper fundata manebit.
Ergo tuas Francisce etiam Brochenhusie laudes
Iam canere incipiam, tantum ô mihi Christe loquenti
Faustus ades, linguamq; meam tu dirige vosq;
O docti precor este viri precor este fauentes,
Et vos ô iuuenes animo me audite benigno.
Principio illius fuerint quæ insignia, paucis,
Quod vitæ genus, in studijs quisnam ardor honestis,
Dicam, dein qualis fuerit vitæ exitus actæ.
Scutum erat huic binis distinctum partibus, vna
Quæ dextram tenuit fuit albo obducta colore,
In qua ceruus erat viuacia pectora in altum
Attollens & fronte minax, pedibusq; retrorsum
Dispergens terram, ramosaq; cornua quassans.
Ruffa erat ad læuam splendens pars altera scuti,
Tres habuitq; rosas numero, splendore decoras
Summaq; pars binas gemmi auroq; nitentes
Sustinuit galeas medium quarum altera ceruum
Tres habuitq; rosas alia, hoc decus ecce parentum
Quod propria virtute auxit natoq; reliquit,
(Qui patris exemplum est iuuenis memorabile morum)
Nam quia cum primo pueriles linqueret annos
Ingenium studijs mentem pietate colebat,

Et

Et ſociam elegit virtutem, hoc mente volutans:
Non qui maiorum tantummodo nomina laudat
Nobilis eſt, verùm ſtudijs qui excellit honeſtis.
Nobilitas vera eſt virtus, & propria virtus
Quæ non fucata eſt fallens tantum ora tuentum.
Alcidæ exemplum placet huc producere, ſed vos
Auſcultate viri precor, & ſtudioſa iuuentus.
Mos fuit hic quondam iuuenes lanugine prima
Signati malas vt vitæ exempla regendæ
Acciperent, cura hæc Alcmena matre creatum
Cum nec adhuc iuuenis, nec iam puer eſſet, habebat.
Nam manè ante ſacrum Phœbeæ lampadis ortum
Egreſſus, prato in viridi prope flumina ſolus
Conſedit cubito innixus, multumq́ volutans
Hinc atq; hinc animo ſecum deliberat, vtrùm
Virtutis præſtet vitij aut mage degere vitam.
Talia voluentem iuuenili in pectore circùm,
Accedunt geminæ cœli de culmine diuæ
Delapſæ, forma inſigni aſpectuq; verendo.
Quarum prima fuit procero corpore, vultu
Demiſſo in terram, hanc natura ornauerat ipſa
Inceſſu lento atq; graui, vultusq́ colore
Qui niuis eſſe ſolet, quam nec veſtigia duri
Calcauêre pedis, nec ſoluit aquaticus auſter,
Candida veſtis erat, geſtus moresq́ pudici:
Altera ſed pingui incedebat corpore, & ore

Elato,

Elato, atq; oculis huc & spectantibus illuc:
Sed fuco facies erat, vncta vt pulcrior esset,
Ingrediens, tumidum, forti ceu militis hasta
Torta manu, collum & corpus librabat eundo,
Vestis erat varijs depicta coloribus, ex qua
Aurea pendebat subnectens fibula pallam,
Balsameumq; albo spirabat vertice odorem,
Ambrosias diffusa comas, & veste refulgens
Gemmas, quam fuluo varias suffuderat auro.
Intereà vt graditur sæpè huc respectat & illuc,
Ipsaq; miratur sese & propriam aspicit vmbram,
Deinde videt quisquam num se miretur euntem.
Prima gradu mulier suspenso pergit, at illa
Insequitur celeri cursu, Alcidenq; iacentem
Mollibus alloquitur verbis ac talia fatur:
Cerno equidem Iouis ô magni generosa propago,
Sollicitum partes animum te vertere in omnes,
Degere quod præstet vitæ genus, ergo loquenti
Ausculta, atq; alta quæ dicam mente repone.
Si mihi te totum dederis, si pectore ab imo
Me spectes nutusq; meos, facilè omnia vitæ
Commoda concedam tibi, nam suauissima gustu
Quæ sunt gustabis, neq; te labor improbus vnquam
Vt reliquos homines stimulis agitabit acerbis.
Principiò neq; bellorum vllius vè negotij
Curam habeas, tantum genio indulgere iuuabit.

Deinde sitim vino siccam varioq́ liquore
Permitio extinguas, nam corpora pulcra virorum
Dulcia vina iuuant, animisq́ & viribus augent.
Deinde oculis quæ grata solent & mollia tactu
Esse, & adoratu, hæc nullo confecta labore
Accipies, verum & dulci cum membra sopori
Vis dare, fac molli in strato tua membra reponas.
Sed quid multa loquar? paucis me absoluere possem
Omnia quæ ad vitam suauem expertemq́ laboris
Spectant, hæc, tantum si te mihi credere soli,
Siq́ voles meus esse, dabo, cunctisq́ frueris.
At tibi si metuas ne te huius commoda vitæ
Destituant, haud ærumnis duroq́ labore
Immensisq́ animi curis multoq́ dolore
Talia conquiras faciam, magis vtere partis
Hortor ego à reliquis nec te hæc fecisse pudebit.
Nec tibi turpe puta lucrum vndiq́ dulce parare
Qualiacunq́ meis quoniam permittere amicis
Lucra ego consueui, & cerdonum more parata.
Talibus instantem dictis Tyrintius heros
Respiciens, quærit quo dici nomine gaudet.
Continuò hæc contra, paucis aduerte docebo:
Me fortunatum dicunt cognomine amici,
Sed quibus inuisa & semper suspecta videbar
Hostes, me vitij compellant nomine turpis.
Interea vt longo tempus sermone trahebant.

Infert

Infert se sociam VIRTVS *ac talia fatur:*
Te tandem accedo cœlo demissa nitenti,
Cum tibi qui fuerint norim generose parentes,
Naturamq; tuam Ioue quæ est ab origine prima,
Diuinum in studijsq; tuum Musisq; colendis
Ingenium plenè cum contemplata fuissem:
Credula me cœpit spes, te (si viuere talem,
Proponas vitam qualem me degere semper
Conspicis in mentemq; tuam mea dicta recondas)
Virtutis cupidum fore, cultoremq; bonorum
Inde operum, ut reliquos quæsitis rebus honestè
Excellas longè multis, & honoribus amplis
Me superes etiam, paucis aduerte docebo:
Non ego te ducam dictis falsæve iubebo.
Ire voluptati comitem, at quam Iupiter ipse
Naturam cunctis donauerit, ordine, rebus
Exponam, nam nulla Dij qui cuncta gubernant
Sydera dant homini bona, ni sudore parentur.
Si tibi propicius vis sit Deus, omnia semper
Grata illi facias dicasq; ex pectore grato.
Et te si fidi vis admirentur amici,
Fac fidei & veri non dißimulator amoris
Vt sis, officijs quos & potes vsq; iuuato.
Deniq; si in celebri celebris cupis vrbe vocari
Ciuis, & ad summi fastigia scandere honoris:
Commoda sunt illi non pauca ferenda iacenti.

Siq; ob virtutem eximiam vis Græcia laudes
Docta tuas memoret, benefacta ingentia toti
Præclarè gestis, passim cumulabis oportet.
Verum si terræ gaudes ditescere fructu,
Assuescas rastris glebas confringere inertes,
Atq; agros vnco duros proscindere aratro.
Præterea pecoris si tota armenta requiris
Ne tibi lac æstate nouum vel frigore desit:
Quæ sit cura boum, & tenero qui cultus habendo
Sit pecori disces, neq; dedignêre labores.
Forte sed armorum vis inclarescere ab vsu:
Arma cape intrepidus, caris & fidus amicis
Quos premit iniusti vis imperiosa Tyranni,
Deme iugum, & grauiter pressos in pristina transfer.
Deinde tuos hostes & qui tibi fata minantur,
Vincere si cupias durosq; subire labores
Cogere, magnanimi Martis rutilantia tela,
Longaq; pugnaci præfixa hastilia ferro,
Tractare addisces, ex his, qui bella superbi
Multa animo infracto gessère, & sedibus vrbes
Euulsere imis qui nil nisi prælia nôrunt.
Deinde tuum valido præstans vt robore corpus
Sit: sudore illud multo duroq; labore
Exerce, hæc via virtutem commonstrat honestam.
His dictis offensa prior, mox ora resoluit
In verba, atq; suo hanc depromsit pectore vocem:

Quæso

Quæso age nate Iouis summi, hæc quam fœmina narrat
Cerne viam, quam dura venit, quamque aspera eunti:
At mea quam breuis est, & quàm gradientibus apta
Contemplare modò, huic solida est coniuncta voluptas.
Hinc virtus: quæ te mulier dementia tandem
Corripit, heus quid agis quæso? quid pessima garris?
Tunè boni quid habes? vel quid tibi dulce videri
Dic poterit? tibi cum vel sit syncera voluptas
Nulla quidem, nam sæpè tuum comedendo voracem
Ingluuie ventrem tumidum comples velut vtrem,
Cum nec adhuc te parua fames stimulo incitet acri,
Et prius infundis spatiosa in viscera vinum
Quem vel te vlla sitis capiat, mox inde palatum
Irritas varijs dapibus, multosq; ciborum
Artifices quæris, torpenti & vina palato
Grata tuo, hinc niueos æstate inquiris aceruos.
Queis tua vina potes spumanti feruida ab æstu,
Reddere frigidula: ast tua cum das lumina somno,
Non solum te delectant strata mollia, & auro
Tegmina depicta & vestes magna arte paratæ:
Verumetiam lecto apponis subsellia, multis
Floribus instrata herbarum. Nam fessa labore
Nunquam declinas languentia membra sopori.
Verum ignaua cubas semper, veneremq; furenter
Exerces turpem, vt proprij neq; corporis vllam
Curam habeas etiam (scelus ah immane) nefandam

In Venerem cogis iuuenes paruosq́ puellos.
His sese exercent tua qui impia castra sequuntur
Stulti, vt nocte velut plexi Cacodæmonis æstro
Non dicenda mihi faciant, lucisq́ sequentis
Stertendo absumant partem gratissima Musis
Quæ doctis solet atq harum cultoribus esse.
Præterea, quanquam Diuos qui cuncta gubernant,
Atq homines inter multos Dea magna putaris:
Te tamen abiectam spernunt sancta agmina Diuum
Contemnuntq homines veræ pietatis amantes.
Dein nunquam, neq enim mirum, te laudibus vllis
Efferri audisti, quæso quid dulcius vnquam
Auditu est vlli, quam si se fama per vrbes
Laudibus extollat meritis, animosq́ loquentum
De sese, atq oculos in se conuertat euntem?
Deniq non bello quoquam præclara fuisti
Nilq à te minima vel dignum laude peractum est.
O miserum cui tale nihil contingit honestum.
Ergo tuis quisnam tutò ausit credere verbis?
Quisve stipem ignauæ dabit hos, si poscis, in vsus?
Quis velit esse tuos, nisi demens, inter amicos?
Nam quicunq tibi duro sunt fœdere iuncti,
His capita inflexa lenta in ceruice recumbunt,
Et fessæ macro fugiunt de corpore vires,
Cum iuuenes sunt, deinde senum tua maxima turba
Mente caret, sensuq́ omni & sine lege vagatur,

Cumq

Cumq; iuuentutis florem insumsere caducum,
Delicias captando vagas, & nulla timentes
Aduersa, ac tandem premat hos mox serior ætas,
Stultos præteryisse dies quiritantur, & illud
Ætatis reliquum tempus quodcunq; futurum est,
Turbati, mœrore animi sæuoq; dolore
Fracti, consumunt curis in inanibus æuum.
Sed summos inter cœlum qui numine torquent
Vnanimes versor Diuos, & semper honestis
Sum socia, & sine me nunquam feliciter vllum
Dys opus aut homini cuiquam procedit agendum:
Tanto me Diui atq; homines dignantur honore.
Imò etiam, quicunq; manu fabrilia tractant
Instrumenta sua, aut manualia cætera curant,
Me sine nequicquam faciunt quæcunq; laborant.
Præteréa dominis vigili in statione manendo
Fida ego sum domuum custos, vt non mala turba
Irrumpat, noctu furum, & spolia ampla reportet.
Hinc seruis quibus est dominos fraudare voluptas
Nulla, sed aßidua faciunt sua munia cura,
Sum constans patrona, vt non sufferre grauentur
Commissas operas sibi mandatumq; laborem.
Blandaq; florentis iam sum nutricula pacis,
In qua cuncta vigent, leges, vrbes populiq;,
Coniugia, & dulcis formosæ eductio prolis.
Iam, si tempus adest pugnæ, mox arma capesso

Telaq;

Telaq; belligeri Martis, ferroq; rebelles
Compesco & gentes æterna in fœdera mitto.
Postremò, qui me dominamq; ducemq; fatentur,
Meq; colunt, non se fœdorum more luporum
Ingluuie turpi complent, ceu mobile vulgus
Quod tibi coniunctum est, sed se potusq; cibiq;
Cum desiderium capiat, comeduntq; bibuntq;,
Contenti appositis dapibus nec plura petentes.
Dein declinantes nocturno lumina somno,
Suauius hi multo recubant, quam qui ocia tantum
Ignaui quærunt quæ nulla negotia tractant.
Mox experrecti in strato somnoq; soluti,
Non vsq; ignauo segnes torpore tenentur,
Vt facienda sibi quæ sint infecta relinquant.
Cumq; senes summis ornari laudibus, atq;
Fama hominum vera & constanti ad sydera tolli
Audierint iuuenes, imo de pectore gaudent.
Haud secus hi iuuenum lætantur honore vicissim,
Cernentes ipsos generi decus addere honestum
Præclaro insignes virtute armisq; potentes,
Deniq; res patrum gestas memorande piorum,
Immensas vt opes bello, murisq; superbas
Diruerint vrbes, populosq; in iura rebelles
Impulerint, tali se natos stemmate gaudent.
Exemplumq; sibi hoc statuunt animoq; volutant:
Quod veluti semper fortesq; boniq; creentur

Fortibus

Fortibus atq; bonis, sic se his maioribus vnquam
Non fore disimiles iactant, gestisve minores.
Quapropter meritò, hos Dij complectuntur amore,
Virtuti & tantæ & tantis conatibus addunt
Præmia digna satis, mox hos mirantur amici,
Et summo dulces patriæ dignantur honore.
Sed cum fata vocant, & mors inimica propinquat,
E medioq; illos nullo discrimine tollit:
Non spreti sine honore iacent, sed per loca fama
Omnia sparguntur volucri, sic nomine magnos
Se gestis fecêre suis, duroq; labore.
Ergo nate Deo qui cœli templa tonando
Concutit, hæc via virtutem commonstrat honestam.
Dixit: & auertens rosea ceruice refulsit,
Diuinumq; comæ spirabant vertice odorem,
Talarisq; pedes vestis defluxit ad imos,
Et mox in nubes volitans se sustulit atras.
His motus iuuenis monitis, ingentia corde
Persentit, visæq; calet virtutis amore.
Et super ipse sua molitur laude laborem.
Sic quoq; clarorum est imitatus facta parentum
Franciscus, celebris Danorum gloria gentis.
Nam Christum vera asiduè pietate colebat,
Principium hunc rerum statuens finemq; suarum,
Non illo melior quisquam, nec amantior æqui
Vir fuit, aut vllis crede inuenietur in oris.

Deinde ſuis, animos quorum perſpexit, amicis
Se totum effudit, totum ſe dedidit illis,
Nec fidei fuit aut veri ſimulator amoris.
Eius in ingenio patriæ facundia linguæ,
Emicuit. Nam ſeu fuit inconſtantia vulgi
Immenſum grauiterq́; fremens, ſeu iudicis ira
Placanda, illius potuit miteſcere dictis.
Sæpius armatum populoſa hunc Gallia vidit,
Gallia diues opum, ingeniisq́; ſagacibus ampla,
Sæpius humano hic tumidos excreſcere riuos
Sanguine, & euerſos craſſum vomere ore cruorem,
Pugnantes ſocios fortis conſpexit: at ille
Haud animo eſt lapſus generoſo, armisve relictis
Terga dedit, timidusve ſpecus quæſiuit opacos:
Sed veluti quercus radice in tartara tendens,
Quamuis ventorum allidatur flictibus, hæret
Firmiter, vtq́; Atlas magna concuſſus aquæ vi
Stat fixus cœlumq́; elato vertice tangit:
Haud ſecus aſsiduis quamuis turbetur ab hoſte
Ictibus, illæſus manet, & multa agmina circum
(Dum tuba commiſſum medio canit æquore bellum)
Sternit humi, donec demortua corpora equorum
Miſta virûm, pariter natare in ſanguine vidit,
Et ſubitam nigro glomerari puluere nubem.
Nobilitas, Martis ſic eſt ſpectata labore.
Deniq́; cum multis huic conuerſatio iuſtis

Princi-

Principibus fuit, inuicti qui bella gerebant
Plurima: Signa dabat pugnantibus vndiq; & haſtam
Ex qua vexillum rara de ſindone textum
Pendebat, quod nunc tremulum huc nunc flatibus illuc
Pellitur extenſa tendebat in æthera dexra:
Gallia adhuc vegetum iuuenem dum diues habebat.

Verum vbi dilectam patriam, dulceſq; penates
Viſere propoſuit, Chriſto duce, & auſpice Chriſto,
Pugnandiq; valens docta ſapientia & arte,
Dilecta, & nimium multos optata per annos
Arua petit patriæ, clara eſt vbi Fionica tellus,
Et pecoris diues, & pinguis munere glebæ.

Tandem autem poſt tot exhauſtas vndiq; curas,
Se recipit, certoq; includit limite vitam,
Conſortemq; thori cum qua traducere vitam
Inſtantem poßit, quærit, reperitq; fidelem,
Eximiam pietate, & matronalibus auctam
Dotibus, inſigni maiorum ſtemmate cretam,
Coniugij ſemel incepti pia fœdera amauit,
Et ſceleris puram caſta cum coniuge vitam
Vixit: cura ambos eadem ſocialis habebat,
Illa ipſum, hic illam pariter dilexit, honeſtè
Amborum æquales vrebant pectora flammæ.

Pretreà illius virtutibus hæc quoq; virtus
In numerum ſubiens, reliquis decus addidit ingens:
Quòd miſeros (quorum rebus fortuna inimica

Successum felicem, & vitæ alimenta negârat)
Iuuerit, & larga his donarit munera dextra.
O tales vtinam multos iam Dania haberet
Mœsta viros, vtinam eximiæ qui tale referrent
Virtutis specimen, validiq; opera ardua Martis.
Nec mirum est, varijs pollens virtutibus heros
Attigerit tantos præstantis gradus honoris,
Tertius à rege vt fuerit, cui cara salutem
In bello positam concredere patria totam
Ausa sit, imperio cuius vaga turba, hominum grex
Tantus, & ad capitis nutum parere volebat.
Nam quoties gestu veluti præsagia vocis
Ostendit, veniunt, arrectisq; auribus astant
Turba satis numerosa virûm, mediumq; loquentem
Armati cingunt equites. Dein plurima fatur,
Et vigiles aperire oculos, & claudere palmas
Pugnantum de more iubet, curisq; repostis
Lætari, aduersumq; impellere pectora in hostem.
Non ille inferior quicquam neq; nomine claro
Te fuit ô Daniel Rantzorum è stemmate crete,
Verum animo excellens & par præstantibus armis.
O mihi tam longæ maneat pars vltima vitæ,
Spiritus & quantum sat erit tua dicere facta.
O vtinam illa dies veniet, cum dicere honores
Magne tuos possem, & totum dispergere in orbem.
O mihi quàm dulcis labor hic foret, ocia nanq;

Nulla

Nulla ego captarem potius, tu miles honestus
Consilio & virtute valens, armisq́; superbus.
Nam veluti Leo cui fauces sunt sanguine plenæ
Præcipiti de monte ruit, camposq́; peragrat,
Terrorem incutiens pecori, pecorisq́; magistris:
Sic tu Marte ferox, & vinci nescius armis,
Agminaq́; aduentu sparsisti hostilia solo,
Præcipuosq́; duces belli præclarè fugasti.
Nunc autem extinctum te deploramus, & vno hoc
Tam bene de nobis meritum dignamur honore:
Cum longè ante alios omnes præstantior vnus
Extiteris, morum probitate, & labe carente
Vita, & cum fuerit prisci candoris imago
Excellens animus tibi, nam neq; census in illo
Nobilitate sua maior fuit, hinc tibi nostra
Patria, & ingentes dicit respublica grates.
Deinde ego quas possum refero tibi pectore ab imo,
Quando mei extiteris cari Francisce parentis
Et verbis, & re, atq; animo syncerus amicus,
Meq́; etiam simili fueris complexus amore.
Tuq́; pater Christo officium fac lætus honestè
Vt facis, inuidia rumpantur vt ilia cunctis,
Qui nostram intrepidè cupiunt disperdere famam,
Buffonum genus ingratum, insipidumq́; malumq́;,
Tantum auræ populari inhians, opibusq́; nefandis.
Sed vos viuite gesta viri, & per cuncta volate

Ora hominum, & nostris estote nepotibus olim
Exemplo, atq; sitis his belli norma gerendi.
Consilijs sic ille tuis vir magne Iohannes
Frys (facunde senex, æui prudentia nostri,
Vnica lux patriæ, & rebus solamen in arctis,
Et de quo hoc tristi iam tempore Dania pendet)
Creuit, & ad tanti fastigia venit honoris,
Ingentesq; sua luctus tibi morte reliquit.
Discite nunc iuuenes clarorum è stirpe parentum
Discite nunc dulcem patriam defendere ab hoste.
Qui pietatis amans, quiq; est studiosus honesti,
Non patriæ vitam non corpus opesq; negabit.
Quod reliquum est, cœtus qui sancta oracula discunt
Christe tua, ô placidè veniens pòst tempore longo
Respice, & ingenti peccati mole grauatos
Nos licet, ah miti tandem precor aspice vultu,
Ereptosq; malis tuto nos Christe precantes
Siste vado, vt posthac grato de pectore nostra
Ora tuas memorent laudes, nomenq; celebrent.

D I X I.

Iohannes Hemmingius.